

antur omnia iudicibus aequis et idoneis, sique hoc opus praeter multa falsa et levia etiam bona nonnulla continere dixerint atque simile esse Aegypto,

τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μειγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

haec, inquam, si iudicaverint viri docti, et studia mea, unde animi saepe per hoc tempus adversam experti fortunam requiem petivi, magno-pere excitabunt, utque in Andocidis orationibus, quarum editionem nunc paro, quam maximam possim diligentiam collocem, efficient.

Neque vero ullo tempore poenitebit liberi iudicii, cui servando nunquam non studui. Nam hoc summum beneficium iudico, atque ex consuetudine praeceptorum optimorum, quorum nominibus in fronte scriptis librum qualemcunque commendare sustinui, hunc summum fructum mihi tulisse videor, quod me docuerunt nullius iurare in verba magistri, quodque iuvenem tenacem aurei dicti Platonici: *Πάντα θαυμάζειν*, vel quod idem est Horatio: *Nil admirari*, non solum tulerunt adversus se loquentem vel potius balbutientem, sed excitarunt etiam utque ne suis quidem dictis prorsus confideret monuerunt.

Unde factum est, ut cum Seneca dicere possim: *Non servio illis sed assentior*, quippe qui cum praestantissimo Lobeckio philologi tesseram